



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio CXXXV. Argumennum. Disputatur, & definitur, Quid sit Amor proprius? Quæ ejus origio? Quæ damna pariat? Quæ sint remedia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

vam conservationem, & ab occasionibus peccandi separari, scriptum est enim: *Ne tibi placeat malorum via, declina & desere eam.* Prov. 4. 14. & alibi: *Recedite, recedite, exite inde. pollutum nolite tangere, exite de medio ejus.* Isa. 52. 11. quod inculcavit Dominus metaphoricè de oculi, manus, ac pedis scandalizantium abscissione: *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, absconde eum, & projice abs te; erue eum, & projice abs te.* Math. 18. 8. Et 4. frequenter suscipere Sacram Eucharistiam; est enim *Salutaris Hostia, quæ celi pandit ostium, & dum bella (passionum, & malorum habituum) premunt hostilia, dat robur fertque auxilium.*

DECISIO CXXXV.

ARGUMENTUM

Disputatur, & definitur, Quid sit Amor proprius? Quæ ejus origo? Quæ damna pariat? Quæ sint remedia?

SUMMARIUM.

1. Philautia, seu Amor proprius quid sit?
2. Quotuplex?
3. Philautia inordinata duplex. Et quæ?
4. Amor proprius in spiritualibus quomodo cognoscatur?
5. S. Ignatii Loyolæ tentatio in interiori corde?
6. Pigritia in operando ex Philautia.
7. Amor proprius in quærendis honoribus, divitiis, & delectationibus.
8. Originale peccatum est radix Philautiæ.
9. Philautiæ, seu Amoris proprii damna plurima.
10. Mortificatio unicum est remedium Philautiæ.
11. Religiosi etiam austerioris vite amore proprio inficiuntur.

1 **D**ixere: Amorem proprium, seu Amorem sui, (qui græcè *Philautia* appellatur. Eminent. Card. de Lauræa in 3. Sent. tom. 2. disp. 31. num. 57.) esse sollicitudinem hominis circa necessitatem, commoditatem, & satietatem sui ipsius. Hæc autem Philautia est duplex; Una ordinata, & Altera inordinata. Prima est laudabilis, & respicit necessaria ad commoditatem, & satietatem hominis juxta ejus conditionem, & merita, cum debita moderatione; ac ideo est species Virtutis Temperantiæ, neque reprehendi potest; siquidem decet, hominem seipsum moderatè diligere; prima enim caritas incipit à seipso, cap. Qui vult de Pœnit. dist. 3. Arist. lib. 9. Ethic. cap. 9. Et habemus præceptum: *Dilige proximum tuum sicut teipsum.* Matth. 5. Ergo amor sui, cum sit prototypus amoris, lege naturæ præcipitur: undè illud: *Miserere anime tue.* Eccl. 30. 24. & de hac moderata Philautia scripsit Seneca ad Lucillum Epist. 24. *In utrumque movendi, ac firmandi sumus, & ne nimis amemus vitam, & ne nimis oderimus.*

3 Altera Philautia est inordinata, & hæc pariter duplex, Una in Spiritualibus, Altera in Temporalibus: Verùm utraque fit vel ex defectu, vel ex excessu. Philautia inordinata in Spiritualibus ex defectu consistit in negligendis spiritualibus auxiliis pro æterna salute consequenda; juxta illud: *Noluit intelligere, ut benè ageret.* Psalm. 35. 4. Ethac Philautia laborant qui in exercitiis piorum operum negligentes sunt, & animam suam in egestate meritorum tenent, ad evitandum laborem,

juxta illud: *Egestatem operata est manus remissa.* Prov. 10. 4. ut demonstrat P. Fran. Stadera *Ingan. della Vita Spirit. tract. 13. cap. 9.* Ex excessu autem in Spiritualibus est Philautia, seu Amor proprius; quando Christianus anxie cupit dona cœlestia, vel ad ea mentem dirigit magis, quàm ad donatorem Deum, procedendo in via spirituali supra vires suas vel ex nimia intensione affectiva, vel ex nimia extensione operativa. Stadera *dist. tract. 13. cap. 10.* Henricus Harphius in *Mystic. Theolog. lib. 2. part. 5. coll. 2.* Hinc S. Ignatium Loyolam dum Barcinone in Scholis linguæ latinæ studeret, ex astutia Dæmonis cœpisse experiri internas dulcedines, ac teneritudines, easque ut cognovit, ex inordinata Philautia procedere cum præjudicio studii pro juvandis proximis assumpti, omninò repressisse refert Daniel Bartoli in *ejus Vita lib. 1. pag. 72.*

6 In Temporalibus autem Philautia est ex defectu in illis, qui potius mendicare volunt, quàm insudare ad necessaria vitæ, familiæ, & statui suo acquirenda; & de his scriptum est: *Transivi per agrum hominis pigri, & ecce totum repleverant urtica.* Prov. 24. 30.

7 Porro præcipuum, & frequens amoris proprii, seu Philautiæ extremum est excessus circa Temporalia; & hic per antonomasiam vocatur Amor proprius; nam pauci sunt, qui non impingant in ipsum circa honores, divitias, & delectationes, *Querentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi*, ut ait Apostolus ad Philip. 2. ut eruditè declarat, & probat Emin. Card. de Lauræa d. disp. 21. art. 3. à n. 68. & seqq.

8 Originem hujus Philautiæ ex originali culpa evenire scripserunt; nam, ut refert P. Rodriguez per peccatum Protoplastum Homo fuit spoliatus gratiis, & vulneratus in naturalibus; & qui creatus erat, ut Deum super omnia diligeret, cœpit cum tota posteritate seipsum inordinatè amare, obscurato intellectu, debilitata voluntate, ac appetitu ferverescere. P. Stadera *dist. tract. 9. cap. 2.* Et P. Simon. à S. Paulo Carmelita Discalceatus in suo *Tractatu Riforma dell' Uomo in Introduct. lib. 1. per totum.*

9 Damna esse plurima notarunt, videlicet peccata quæcunque; omnia enim ex hac radice Philautiæ proveniunt, & diffunduntur in Superbiam, Avaritiam, delectationes carnales, vindictas, aliaque multa, prout docuit Apostolus 2. Tim. 3. *Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi;* ubi Lyræus addit, *Seipsos amantes quantum ad partem hominis sensitivam.* Et omnia Amoris proprii damna compilavit S. Augustinus de Civit. Dei lib. 14. cap. ult. dicens. *Duo amores fecerunt duas Civitates, Civitatem Dei amor Dei, usque ad contemptum sui. Civitatem diaboli amor sui, usque ad contemptum Dei.*

10 Remedium unum omnes dedere, scilicet mortificationem tum corporis, tum spiritus; juxta illud Salvatoris: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum;* nam *Qui voluerit animam suam salvam facere, inordinatè amando, perdet eam.* Matth. 16. 24. & illud Apostoli ad Coloss. 3. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram, & ad Galat. 5. 24. Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis;* quandoquidem scriptum est Eccles. 18. 30. *Post concupiscentias tuas non eas; ut plenè*

demonstrant P. P. Stadera, & Simon à S. Paulo locis supra cit. S. Franc. de Sales in *Philos. part. 4. à cap. 10. & segg.* & Ludov. à Ponte *Guid. Spirit. part. 2. tract. 3. §. 2.*

Hunc Amorem proprium, seu Philautiam
11 invadere, & inficere etiam corda Religiosorum austerioris Vitæ testantur Revelationes S. Birgittæ, in quibus *lib. 4. cap. 17.* hæc habentur: *Sunt multi, qui temporalia relinquunt, eo fine, ut adversitatibus careant, & nihil eis deit ad utilitatem, & voluptatem; quorum rota (idest intentio,) non est bene ductilis, & versatilis: Hi, cum pungit paupertas, desiderant sufficientiam; cum gravat adversitas, requirunt prospera; cum tentat eos directio, murmurant de dispositione Divina, & affectant honores; cum præcipiuntur contraria, querunt proprias libertates. O quanti, & quanti tales sunt!*

DECISIO CXXXVI.

A R G U M E N T U M.

Quid sit Superbia; Quotuplex? Quot ejus filia? Quot mala pariat? Quibus remediis curetur?

S U M M A R I U M.

1. Superbia quid sit? Et unde dicta?
2. Quotuplex?
3. Leena egrediens è mari visa à Daniele, quid esset?
4. Superbia spiritualis alia interior, alia exterior.
5. Superbia filia decem. Et quæ?
6. Superbia effectus Hæresis, & Apostasia.
7. Remedia contra Superbiam.
8. Autores legendi contra vitium Superbie.
9. Superbiae Luciferi quale fuerit obiectum?

1 PLurimæ fuerunt notatæ definitiones; quarum præcipua secundum D. Thomam 2. 2. *quest. 162. art. 1. & 2.* Quod sit inordinatus appetitus propriæ excellentiæ supra mensuram, & regulam à Deo sibi præfixam. Et dicitur Superbia ab eo, & super, quia superbi volunt ire super se, idest super id, quod non habent, vel quod à se non habent. *Isidor. de Etymol. & Cardin. Tolet. lib. 8. cap. 3. in fine.*

Duplex est Superbia. Una Mundana, per
2 quam quis inordinatè appetit dignitates seculi, appellatur superbia vitæ. Alia Spiritualis, qua homo indebito modo, seu non recto fine affectat sanctitatem. P. Ludovic. à Ponte in *Guid. Spirit. part. 2. tract. 4. cap. 5.* ubi ex SS. Aug. Greg. Thoma, & ex Cassiano notat, belluam,
3 quam vidit Daniel egredientem à mari in forma Leæne cum alis Aquilinis *Dan. 7. 4.* fuisse symbolum mundanæ, & spiritualis superbiæ. Hæc autem superbia spiritualis subdividitur;
4 alia enim est interior, cum vir religiosus credit habere in se virtutes, quas non habet; vel si quas habet, non à Deo, sed à se putat habere. Et altera est exterior, per quam se exercet in operibus bonis, ac honoretur, & contra utramque scriptum est; *Superbiam nunquam in tuo sensu (ecce interiorem,) aut in tuo Verbo (ecce exteriorem) dominari permittas. Tob. 4. 14.*
5 Superbia gignit filias decem. Prima est Præsumptio, quæ aggreditur res supra vires. 2. Ambitio, quæ appetit dignitates, & honores non

debitos. 3. Vana gloria, quæ nutritur laudibus hominum, & eorum obsequiis. 4. Inobedientia, negans subjectionem Superioribus suis. 5. Jactantia, decantans proprias virtutes. 6. Hypocrysis, simulans sanctimoniam. 7. Contemptio, studens decertare cum proximo. 8. Pertinacia, quæ adhærens suo judicio, non cedit aliorum sententiæ. 9. Discordia, recusans consentire voluntati alienæ. 10. Curiositas, appetens novitates tam circa intelligibilia, quam circa sensibilia; ut plenè Card. Tolet. *lib. 8. à cap. 3. & seg.* ubi Sacri DD. Augustinus, Gregorius, Thomas, & alii. Marcant. in *tuba Sacerd. tract. 1. sect. 6. cum segg.*

Quot mala pariat, quis enarrare poterit? 6 Superbia enim est initium omnis peccati. *Ecc. 10.* & præter supradictas decem filias, seu species iniquitatum, alias plurimas parturit, & inter ceteras Hæresin. & Apostasiam a fide: ut legentes edocet Ecclesiastica Historia, & de Origene, Tertulliano, & Ofio observat P. Steph. Menochius *Stuore part. 6. cap. 8. pag. 19.* Quibus addere possumus Lutherum, & Calvinum.

Quibus autem remediis curetur? Duobus scripsit unus, videlicet cogitare, quid fuerit homo ante nativitatem? & considerare, qualis futurus sit post mortem? nam de utroque tempore fatebitur unà cum Job. *Putredini dixi, Pater meus es, mater mea, & soror mea vernibus.* Job. 17. 14. Unum scripserunt duo; videlicet illud Philosophi, *Nosce teipsum.* Alii notarunt, & sumperunt quinque ex Emin. Card. de Lauræa in 3. *lib. sent. tom 2. disp. 31. art. 4. §. 8.* videlicet memorari; 1. Proprium conceptum. 2. Propriam corruptionem. 3. Incommoda naturalia. 4. Miseras animæ. 5. Vanitatem seculi. Alii in responsis dederunt, ut frequenter, & attentè legantur Exercitium Perfectionis P. Alphonsi Rodriquez *part. 2. tract. 3. per 40. integra capita:* Et P. Ludovic. Granata *part. 2. lib. 2. cap. 4.* Quibus nos addimus 8 meditari viginti quatuor veritates per nos compilatas, & tractatas operibus Spiritualibus P. Juliani Haynovii Societatis Jesu, impressas typis Joannis Pasquati hic Patavii anno 1681.

Hinc notare debemus ob superbiam Luciferum, & Angelos prævaricatores cecidisse de Cælo. Sed diceret aliquis, Quale fuit obiectum, 9 seu formalitas superbiæ Luciferi? Alii ajunt, fuisse propriam pulchritudinem, quam sibi tanquam ultimam finem constituit, contemnendo Deum Creatorem suum. *Elevatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum. Exod. 28. 2.* Alii, quod prætenderit beatitudinem, non ex gratia Dei, sed ex propriis meritis, ut volebant Pelagiani. S. Thom. 1. *part. quest. 63. art. 3.* Alii, quod voluerit esse similis Deo in autoritate, dominando independentè à Deo omnibus creaturis, ita ut ab omnibus adoraretur tanquam Deus, ut exigit à sagis, strigis, & maleficis; ideo ajebat: *Similis ero Altissimo. Isa. 14. 13.* Alii, quod recusaverit adorare Humanitatem CHRISTI, sibi tunc revelatam, quod innuit Apostolus, inquiens *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem Terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Hebr. 1. 6.* Et hac de causa Lucifer in superbiam elatus præcipitatus fuit in infernum, & odio implacabili persequitur CHRISTUM: & ejus Ecclesiam.

Legat